

1097 primo quoque tempore fieret, ferunt Alexium Imperatorem ob solutissimam eorum, qui Petrum sequebantur, militiam, nimiamque peccandi licentiam, summo studio curasse. Eam militaris disciplinæ negligentiam Petro Eremitæ, ut homini armorum imperatoriæque artis ignaro, Alexius & alii acceptam referre; atque ob id ipsum crediderunt quidam, Imperatoris jussu Petrum pene invitum inter primos in Asiam transvectum. Continuo itaque Nicomediam versus Niceamque mota sunt castra. Sed quia manifeste apparebat, si solius Eremitæ auspiciis, hominis magis probi quam prudentis ingenii, res gerenda esset, omnino fore, ut sub primos conatus, aut certe non multo post, quicunque trajecti essent, discrimen aliquod adirent: Raimundum, Germani sanguinis virum impigrum, sibi ducem creaverunt. Ex cuius lectionis genere facile potest intelligi, Bolionios fratres aut cum Petro Constantinopolim non venisse, aut si venerunt, eo in Asiam transvecto, apud Alexium, donec reliquæ copiæ adeissent, subsedisse. Turci qui ab initio resciverant, quæ in Gallico conventu decreta fuerant, ac quæcunque postea Christiani duces ad bellum decreverant, constituunt eos, qui primum in Asiam venissent, insidiis exceptos trucidare: reliquos qui jam appropinquare dicebantur, Bosphori transitu arcere. Quum in Nicenum itaque agrum inexplorato Raimundus duxisset, in insidias præcipitatus, cum multa suorum strage in Exorgum oppidum se recepit. Fuerat is locus de industria ab hostibus relictus, quem ubi a Germano duce occupatum viderunt, hostes continuo obsidione cingunt. Hic Raimundus longa obsidione fatigatus, pro duce transfuga factus, cum paucis ad Turcos transiit. Oppidum inde aliquandiu strenue defensum, demum fame, siti, omnibusque malis, qui intus erant, affectis, magna ex parte aut ferro, aut alio belli casu absumptis, viator barbarus recepit: qui ex eo præsidio inviti in hostium potestatem venerant, ad unum cæsi. Eremita interim Cinitum oppidum, & ipsum ab incolis destitutum, occuparat: seque loco tutatus copolas quas habuit, sub adventum suorum majoribus castris junxit. Dum hæc in

Bithi-

Petrus Eremita.

Christiani  
infeliciter  
ab initio pa-  
gnant in Bi-  
thia.